70

916

GALLIÆ JUBILANTI.

OB REDDITAM REGI SANITATEM,

Cùm M. CAROLUS LE BEAU, Rhetoricæ Profeſſor in Graſſinæo, reſtitutam REGI ſalubritatem & Regno lætitiam Oratione Publicâ gratularetur, die 3 Dec. 1744.

ODE GRATULATORIA.

QUALIS affulget recreatque terras
De novo Titan, ubi lucis autor
Paſſus eclypſim, caput ex opacâ
Protulit umbrâ.

Ante defecit tenebroſus, ipſum
Inter & terram ſpatiante Lunâ.
Decolorato velut exoletus
Palluit ore.

Aſt, ut exceſſit globus obtegentis
Orbitæ, priſcum redit in decorem
Lucidus, gaudens fruitur benigno
Terra calore.

Talis exultat ſibi reſtituto
REGE Gallorum recreatus orbis :
Talis ex uno redit ad clientes
Soſpite virtus.

Ægra quæ genti fuit univerſæ
Mens, ut ad partes properè volantis
Publicas, feſſos inopina febris
Arripit artus ?

Aſt ubi, famâ præeunte, morti
Proximum, jamjamque periclitantem
Audit, infauſto labefacta fati
Concidit ictu.

Tunc, quod in magnis gravibuſque damnis
Fit, GENOVEFÆ tumulum frequentat.
Preſſa curarum ſtimulis * Patronæ
Obſidet aras.

Urbs idem ſenſit Sibi contigiſſe
Virginis Capſam venerans, quod olim,
Perditis rebus, ſibi mille factum
Narrat ab annis.

Scilicet PRINCEPS velut è ſepulchro
Lucis uſuram redit in priorem,
Sentit & priſcas vegeto renaſci
Corpore vires.

Ipſe REX novit populi clientis
Redditum ſeſe precibus ; memor cum
Vota lætantûm Domino referri
Publica juſſit.

* Ex Mandato R. R. S. AUG. Can. Abbatis, die 17 Auguſti lato, Feretrum BEATÆ VIRGINIS GENOVEFÆ Populorum venerationi expoſitum eſt, & ſupplicationes indictæ per novem dies, quibus Prætor Urbanus & Ædiles ſæpius interfuêre.

Quod quidem magnus, comitante Clero,
Pontifex, Aulæ ſimul Optimates,
Ac Magiſtratus, Procereſque facto
Agmine * adimplent.

* In Æde primaria ſub invocatione Deiparæ Virginis, die 10. Sept. 1744.

Sentit & Princeps Academiarum,
Filiæ Regum titulo ſuperba,
Cum recognoſcit referenda ſummo
Vota Parenti.
Cùm Facultatum numeroſus Ordo
It gravi ſupplex animo per Urbem;
Seque fert ſacras gradiens * Patroni
Regis ad ædes.

* Sancti Ludovici in Mazarinæo, die 11 Septembris 1744.

Fauſta cum ſalvo benè deprecatus
Principi, concors animiſque fervens
Inſtat, & læto modulatur hymnum
Muſica cantu.
Nempe Cantorum chorus, & tubarum
Tympanûm & clangor, ſimul & canoris
Additæ voces fidibus locorum
Atria replent.
Sed quis in totâ ſtrepit Urbe clamor?
Quid triumphales, precor, apparatus
Indicant? Cur tot jaculantur æra?
Bellica bombos?
Lumini fit nox ſimilis diurno:
Dant vias lucem faculæ per omnes:
Et fluunt vini per aperta paſſim
Compita fontes.

Audio : Rex eſt, modò qui periclis
Functus ad Rhenum gravibus, reduxque
Gallicos inter ſtrepitus paratam
Intrat * in Urbem.

* Die 12 Novembris 1744.

Nec modò ſoſpes, ſed adhuc triumphans
Rex, apud Belgas tribus occupatis
Urbibus, Rheni benè roboratis
Finibus, intrat.

Qui memor lucis ſibi prorogatæ,
Principes Urbis recolit Patronas.
Solvit in Sacris utriuſque vota
Debita * templis.

* Apud Beatam Mariam & Genovefam, diebus 13 & 16 Nov. 1744.

Ergò Rex vivit ; ſatis eſt ; quid ultrà
Tendimus ? Pacem, niſi deprecari ?
Teque, Rex Regum, lacrymis, tuumque
Flectere Numen.

Redditum ſerva, DEUS ALME, Regem,
Et die quo Te, Pater, invocamus,
Auribus noſtras miſerans benignis
Excipe voces.

LUDOVICUS ROUGET, Rhetoricæ Profeſſor, in
Collegio Montis-Acuti Emeritus & actu Regens.

Cum permiſſu. Die 28 Novembris, anno 1744.
Feydeau de Marville.

Ex Typographiâ Thiboust, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi,
in Plateâ Cameracenſi.